



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita prædicti Cosmæ Scholastici. Capvt. CLXXII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ter consumebatur. Habuit tamen & iste plusquã prior ex processibus non mediocre refrigerium, habens facultatem liberam quocunq; vellet, die, noctuque procedere, quamuis hanc libertatem, & laboris magnitudo retundebat, & raro processu seculariũ familiaritatẽ excludebat. Vnusquisque igitur mercedem propriam accipiet, & secundũ labores proprios, & iuxta resurrectionis mẽsuras, & intellectualis spiritualisque munditiã, & ministracionis, & timoris Dei, ac charitatis, & cõpunctionis, & iugis psalmodiã & orationis & intentissimẽ fidei, & occultã hominibus, latentisq; virtutis.

¹ Vide in hoc capitulo virtutum catalogum, quẽ duos sanctos viros valde commendabiles reddiderunt.

Vita prædicti Cosmæ Scholastici.

C A P V T. CLXXII.

DE isto domino Cosmæ Scholastico, multi quidem multa, & alia alij, & plurimi plurima nobis retulerunt. Quæ verò nos vidimus, & quæ diligenter affecti sumus, ea tantum pro legentium vtilitate conscribimus. Erat enim vir iste humilis, misericors, abstinens, ² virgo, quietus, sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaque nobis vtilitatis contulit vir iste mirabilis, non solum ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, & quòd magnam haberet librorum copiam super omnes, qui erant in Alexandria, eosque promptè, ac libenter volentibus accommodaret. Erat autè & nihil possidens. In tota nanq; domo eius nihil vidißes aliud, quàm libros & scabella, & lectulũ, & mensã. Licebat verò omnibus ingredi, & interrogare, quæ ad vtilitatẽ pertinerent, & legere. Diebus autè singulis intrabam
ad

ad eum ipse, & teste veritate, nunquam ad illum ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Iudæos inuenirem. Magno enim feruebat zelo conuertendi gentem illam ad veritatem. Ideo & sæpè misit me ad Hebræos quosdam, vt per literas illis colloquerer. Non enim facile domo egrediebatur ipse.

AD hunc dominum Cosmam Scholasticum die quadam profectus sum, cumque mihi magna ad illum esset fiducia, interrogauit me cum dicens: Fac charitatem, dic mihi, quantum temporis habes in hoc instituto. Tacenti verò, & nihil respondenti, rursus dixi illi: Per Dominum dic mihi. Cùm autem se ille paululum sub silentio continuisset, ait mihi: Triginta, & tres annos habeo. Quòd ego audiens glorificaui Deum.

ALIAS iterum accessi ad illum, & interrogauit me cum, dicens: Fac perfectam charitatem, sciens quia propter utilitatem animæ interrogo te. Dic mihi quæso. In tanto tempore instituti tui, quietis, & continentia, quid adeptus es. Ille verò ingemiscens, & ex intimo corde suspirans ait mihi: Quid potest secularis homo virtutis adipisci, & maximè residens in domo sua? Ego autem rursus illum rogabam dicens: Per Dominum dic mihi, vt ipse quoque proficiam. Tunc verò multum coactus à me, dixit, Ignosce mihi. Tria ista confiteor sum, non iurare, non mentiri, non ridere.

His virtutum ornamentis Sancti carnis concupiscentias, & mundi blandimenta vincebant.

2 *Si erat Virgo, potest seruari Virginitas, quod semper intelligitur diuinæ gratiæ auxilio, quæ nunquam negatur eam humiliter petenti.*

Factum mirum Theodori Anachoretæ, Qui oratione sua in mari dulcem aquam effecti.